

De rheumatismo gonorrhoeico : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor Carolus Aemilius Neumann ; opponentibus G. Ebmeier, R. Cammerer, O. Kuehne.

Contributors

Neumann, Carl Emil, 1830-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis Gustavi Schade, [1854]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ghqrefds>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

11
15.
DE
RHEUMATISMO GONORRHOICO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILLIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE III. M. APRILIS A. MDCCCLIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
CAROLUS AEMILIUS NEUMANN
MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

G. EBMEIER, MED. ET. CHIR. DR.
R. CAMMERER, MED. ET. CHIR. DD.
O. KUEHNE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

151

REHUNATISIO GOORHICO

DISSERTATIO

IN ANGUINALIS MEDICINAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIA REGIAE UNIVERSITATIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

HEIDELBERGENSI

AVTOR

IN MEMORIA

in 2016

DIE III. M. APRILIS A. MDCCCLV

M. F. G. R.

PUBLICA DIRECTIONE

AVTOR

CAROLUS AMELIUS WUBMAN

STUDENT

OPORTUNITATE

G. ERMANN, MED. ET CHIR. DO.

H. CAMMERER, MED. ET CHIR. DO.

O. KLEINER, MED. ET CHIR. DO.

RECTOR

ALMA MATER

Rheumatismus gonorrhoeicus — inflammatio articulorum gonorrhoeica — Arthrocele — Gonocela — Arthritis blennorrhoeica — Arthrophlogosis gonorrhoeica, Arthromeningitis gonorrhoeica — artric rheumatism — white swelling — tumeur blennorrhagique du genou — Gonophysema — est morbus consecutivus gonorrhoeae. Prioribus temporibus ignotus fuisse videtur. Quare hominum genus ita nunc debilitatum videri debet, ut hodie morbis hujusce generis facilius tentetur, morbus igitur tunc aut defuit, aut non accurate perquisitus est, sed ab antiquioribus neglectus. Quod verisimilius videtur. Hodie quoque multi sunt, qui rheumatismum gonorrhoeicum pro rheumatismo articulari habent, cum gonorrhoea simul exortum vel gonorrhoeam insecutum. Nexum inter morbum, de quo sermo est, et gonorrhoeam antiquiores non intellexerunt. Foucart, qui hujus morbi historiae quantum potuit operam navavit, commemorat dissertationem, quae hujus morbi mentionem fecit anno 1723 a Murgrave ¹⁾ quodam conscriptam, qui igitur primus de rheumatismo gonorrhoeico dixisse videtur. Postea multi de morbo retulerunt et disseruerunt, ut Sauvages, Plenck, Brambilla, Schwediaur, Kleffel, Fabre, Auten-

¹⁾ Cfr. Hacker, in Schmidt's medicinischen Jahrbüchern, Band 59, Jahrgang 1848, über eine Dissertation von Carl Petراسي.

rieth, Vetsch, Bacot, Brodie, Cooper, Lawrence, Constantin Cumano, Limon, Eisenmann, Titley, Monteggia, Graves, Cloquet, Cullerier, Lageau, Gipert, Velpeau, Baud, Grisolles, Bonnet, Costes, Ribes, Venot, Laennec, Gillot, Halifax, Blaudin, Andrieu, Pajol, Basedow, Hacker, Casper, Lippert, alii.

Astley Cooper ¹⁾ in scholis, quas habuit, chirurgicis de hujus morbi genere semper disseruit, quem quotannis sibi occurrere in praxi commemoravit, atque eo magis discipulorum animum ad eum advertere studuit, quum in compendiis de morbo nihil commemoratum inveniretur. Casum narrare solebat gravissimum: Americanus quidam e gonorrhoea laborans consilium auxiliumque petiit. Quum laboranti auxilium pollicitus esset, nullas arguens difficultates, respondit Americanus: non ita prospere rem cessuram esse, quin immo primum ophthalmidem, tum rheumatismum articulorum accessurum esse. Atque ita, pergit Cooper, accidisse. Quamvis summa adhibita fuerit cura, ne pus in oculum transferretur, tertio die ambos oculos inflammatos fuisse et tribus praeterea diebus post rheumatismum articulare accessisse; utrumque malum tandem strenua cura sublatum esse. Postea exempli iñstar se multos vidisse casus Cooper affirmat. Nec non Monteggia in Italia morbum animadverterat. In libello, quem de morbis venereis (Mediol. 1794) edidit, tres casus arthritidis in hominibus gonorrhoea affectis observatos commemorat, quos gonorrhoea et rebus foris oblatis ortos putavit. —

¹⁾ Lectures on the principles and practice of surgery by Sir Astley Cooper. Thirty Edit. London 1832, pag. 165.

In annalibus annorum praeteritorum inveniuntur satis multi morbi casus. Quare si placet, conferantur: Ill. Casper, Wochenschrift, anni 1846 No. 7, an. 1847 No. 1 — 2, No. 30 sqq., an. 1850 No. 41 — 42, an. 1851 pag. 541. — Foucart: Quelques considerations pour servir à l'histoire de l'arthritide blennorrhagique. Journal de Méd. de Bordeaux Febr. et Mars. (Quae dissertatio postea Parisiis in officina Labé denuo typis expressa est.) — James Kin-
nien: on gonorrheal rheumatism. Lancet Jan. 1844. — Rognetta: Annales de Therapeutique No. 1 Juil. 1844. — Rostan: Annal. de Therap. — Holscher: Erfahrungen über Arthritis gonorrhoeica; Hannov. Annalen 1844, Heft 2. — Robert: Traitement des hydrarthroses blennorrhagiques, Gazette médic. de Paris No. 11. 1846. — Ricord: L'Union méd. 1851. No. 12.

Quum attulerimus magnum virorum numerum, qui de morbo, quem sumus tractaturi, sermonem fecerunt, quumque morbi existentiam vindicaverimus, qui in dubium vocarunt morbum et adhuc vocant, omittamus. — Utamur in libello nomine rheumatismi gonorrhoeici, non quia optimum est — pauca enim similia habet hic morbus cum rheumatismo articulari et multis ab eo distat — sed quia usitatissimum in libris occurrit.

Morbi species earumque signa.

Tres obveniunt rheumatismi gonorrhoeici formae, quae symptomatibus insignes singulae depingendae sunt, forma scilicet acuta, subacuta et chronica.

1. Acuta morbi species frigore gravi et percutiente saepius incipit, ut alii morbi majoris momenti. Sequitur febris continua remittens, quae pluribus in casibus non

tam gravis est, quam quae in rheumatismo articulari acuto observatur. Febris remissiones ostendit sub vespere, vel etiam matutino tempore, nec una cum febris remissione remissio morbi topici observatur. Tractus intestinalis simul affectus est (leviori vel graviore modo). Sapor enim est alienatus, vappidus, ingratus, nonnunquam amarus, lingua indumento flavo oblecta, appetitus — quod per se apparet — omnino nullus, quin adeo nonnunquam ita affectus est tractus intestinalis, ut vomitus exoritur. Dum febris et apparatus gastrici affectio aegrotum offendunt, topicus morbus invadit. Unus vel plures articuli morbo afficiuntur. Nonnunquam evenit, ut et febris et articuli vel articulorum morbus simul existant. Proinde in uno vel pluribus articulis dolores oriuntur, qui mox ad ingentem magnitudinem accrescere possunt. Noctu, in lecto exacerbantur; lacerant, discerpunt aegrotum; ad partes affines progrediuntur. Rarissime dolores desunt, quod tamen Velpeau ¹⁾ duobus in casibus se observasse dicit, in quibus hydrops articuli aderat. Cutis habere tum solet roseum colorem; nonnunquam major est rubor, sed etiam casus occurrunt, in quibus omnino deest. Mox intumescit articulus affectus; nonnunquam subito tumor irruit, intra viginti vel triginta horas potest oriri. Totius articuli forma tunc alia fit. Cutis temperies auctam se praebet. Ubi ita res se habet, exsudatio serosa facta est in capsulam synoviale, qua de re fluctuatio certiores nos reddit. Exsudatione serosa exorta, dolores magis prementes sunt. Mobilitas deest. Aegroti articulos affectos flectere solent, quia flexione articulorum levi muscu-

¹⁾ Clinique chirurgicale.

lorum tensio omnino deest, igitur haec positio imprimis grata est. — Nec non accidit, ut cutis mordaci calore exorto inflammatione pseudoerysipelatosā afficiatur; nonnunquam exanthema circa articulos affectos observatum est, roseolae copaivali simile; quod subito ortum per aliquot dies, circiter octo vel decem mansit, dum morbus in minorem gradum recederet. Dein facta desquamatione, remansere maculae rubentes.

Quae forma acuta gravissima est, sed etiam rarissima, ita ut exceptiones magis vocari debeant casus acuti. Holscher¹⁾ eam vocat metastaticam, quod gonorrhoea subito suppressa exoriri solet; tamen metastasis num re vera occurrat nescio, alia enim explicationis via patet. Qua de re infra sermonem facturi sumus.

2. Rarius igitur tanta vi morbus ingreditur; saepissime est subacutus. Febris tum exstat continua, ut semper si membranae serosae affectae sunt, nonnunquam remittens. Febris respondet topicae irritationi. Pulsus magnus et plenus esse solet. Gastrica signa, quae acutam formam comitantur, non inveniuntur. Dolores in affecto articulo vix sunt leviores, quam in acuto morbo, sed etiam graves, pungentes. Exsudatio rarius fit, nec celeriter; cutis consuetum colorem habere solet; temperies est aucta. In his casibus praecipue ligamenta articulorum affici dicuntur, sed etiam capsula synovialis corripitur. Rarius tamen articulorum forma omnino mutatur. — Quae morbi forma subacuta praecipue in hominibus validis observatur, dum gonorrhoea est in stadio chronico. —

¹⁾ Erfahrungen über arthrit. gonorrh., cfr. Canstatt's Jahresbericht. Localpatholog. 1846.

Basedow¹⁾ refert casum, qui eximie morbi symptomata docet. „Oeconomus quidam, inquit, juvenis, bona antea valetudine gaudeus, contra rheumatismum febrilem medici auxilium petiverat. Quum duabus hebdomadibus praeterlapsis valetudo non restituta esset, ego in auxilium vocatus sum. Inveni in articulatione manus dextrae intumescientiam calidam, dolores ingentes excitantem; cutis in ea rubescens, febris modica erat, urina aquosa, non flammea, nec sedimenta ostendit, nec globulos mucosos. Quod jam diutius in prima sede manserat morbus, nec aliam quaesiverat, de ejus origine gonorrhoeica cogitare coepi; atque mox gonorrhoeam detexi, cujus cursum antea aegrotus remediis variis adhibitis turbaverat. Prognosis, quam Holscher auguratus est, et in hoc casu mala fuit. Quamquam enim, quae opus erant, adhibita sunt, anno praeterlapso articulus morbo omni ex parte liber non fuit.“

3. Tertium morbi genus est chronicum. Quod sua sponte incipere potest, saepissime tamen forma subacuta in chronicam transit. Sponte afficit e gonorrhoea secundaria aut stricturis urethrae laborantes, qui diaeta consueta neglecta vitae consuetudinem conturbaverunt; ceterum aliae res nocentes vim in organismum exserere queunt. Tum ii praecipue chronico rheumatismo gonorrhoeico afficiuntur, qui quum saepius gonorrhoea infecti fuissent, nova infectione petuntur, aut injectionibus inconsulto factis, vel medicamentorum excitantium usu interno gonorrhoeae finem imponere student, atque ita urethram irritant. Haecce praebet signa: Dolores occupant unum vel alterum articulum, plus minus aegrotum cruciant.

¹⁾ Casper's Wochenschrift 1847.

Intumescencia conspicua non est, neque temperies membri aucta; rubor semper deesse solet. Qui si per temporis quoddam spatium perduraverit status, crepitatio, dum movetur articulus, cognoscitur, simulque articulorum mobilitas difficilis fit; quibus inflammatio chronica demonstratur. Quae articulorum rigiditas, membranae synovialis degeneratione et deficiente synovia vel exsudatis fibrinosis ortis vel calcaria deposita provocata, maxime aegrotos vexat atque torquet. — Digestio perturbata apparet, si diutius hic status adfuerit.

Urina in rheumatismo gonorrhoeico non ostendit phaenomena, quae rheumatismus praebere solet; sedimenta, quae vocantur rheumatica, non inveniuntur, sed urina est limpida, saepius copiosa.

Eisenmann de hac chronica forma retulit, in articulorum affectionibus gonorrhoea provocatis febrem semper deesse contendens. Audiamus ipsum ¹⁾: Jam in acuto et chronico gonorrhoeae decursu, inquit, articulorum affectio secundaria oriri potest, quae facillime distinguitur a rheumatismo, nam, omissa et neglecta causa, qua existit, praecipue in articulo affecto manet, dolores perdurant, febris non adest.

Rheumatismi gonorrhoeici decursus varius est pro indole atque natura, qua morbus excellit.

Jam acutus morbus eo insignis est, quod multum temporis eo teritur. Quae mali diuturnitas pendet praecipue ex inflammationis in loco primitus affecto pertinacia.

Quare qui leve putaverint malum, valde errarunt. Si alteram articulationem rheumatismus gonorrhoeicus oc-

¹⁾ Eisenmann, der Tripper in allen seinen Formen und Folgen. Erlangen.

cupat, non prius affecta morbo liberatur, qui in priori articulo eadem vi persistere solet. Quo maxime differt a rheumatismo articulari acuto, qui, si alteram invadit articulationem, prius affectam relinquere solet. Complures articuli afficiuntur morbo aut eodem tempore, aut deinceps. Tamen nonnulli aliam probarunt sententiam. Constantinus Cumano ¹⁾ affert, se nunquam plures articulos rheumatismo gonorrhoeico eodem tempore affectos vidisse. Quod si Constantinus Cumano non vidit, aliis hoc contigit. Ill. Langenbeck, certum et characteristicum rheumatismi gonorrhoeici signum in eo esse saepius dicentem audiui, quod semper eodem tempore plures articulos offendat. Stromeyer quoque semper in pluribus simul articulis morbum observavit. Quum mihi videndi occasio nonnunquam oblata fuerit, saepius complures articulationes affectas observavi; nec non casus, in quibus una tantum articulatio correpta fuit, obviam venerunt. Aegrotationis ambitus in afflictis articulis differre potest. — Perstat acuta species morbi fere semper per quatuor aut sex hebdomades. Quod si fit in forma acuta, subacutam per aliquot menses morari non mirum est. Morbi signa saepius leviora fiunt et ad minorem gradum recedunt; deinde redeunt nova vi. Sensim plures articulationes corripuntur; tunc febris redit. Medici summa cura ad immanem pellendum hostem haud multum valet. Nonnunquam brevior morbi decursus reddi potest. Casum, in quo curatione gonorrhoeae abortiva decurtatus est morbi decursus, Ill. Casper affert ²⁾, memoratu satis dignum. „Vir quidam triginta circiter annos natus,

¹⁾ Berend, Syphilodol. Bd. V.

²⁾ Casper's Wochenschrift, 1849. No. 29.

qui quater et quidem variis in terris — Sicilia, Franco-gallia, Britannia, Germania — gonorrhoeam et rheumatismum gonorrhoeicum insequentem sustinuerat, denuo temporis longo spatio interjecto gonorrhoea infectus, quum maxime timeret, ne rheumatismus, quem satis cognoscebat, accederet, statim auxilium petiit. Prioribus in casibus indoles maligna malorum, quae pertulerat, aegrotum plures menses in lecto detinuerat. Quod ne iterum fieret, curandi gonorrhoeam methodus abortiva adhibita est. Tamen omnino res non prospere cessit, nam die decimo octavo febris exorta, dolores occuparunt articulos nonnullos et invasit rheumatismus gonorrhoeicus aegrotum. Morbus septem hebdomades perduravit, dum priores impetus bis hoc spatium impleverant ¹⁾).

Chronica morbi species menses et annos aegrotos angit et doloribus cruciat, alterum post alterum saepe aggrediens articulum; nonnunquam exasperatur. Morbi species satis frequens est; ipse saepius vidi. Quamvis multum vexat afflictos, tamen rarissime, quem Eisenmann refert ex „Annalibus Omodei, Vol. XXXII, casus obvenit. Rusticus scilicet, qui e gonorrhoea et pleuritide laboraverat, doloribus extremitatum inferiorum sensim afflictus est. Qui quum persisterent, duobus annis post et extremitates superiores atque vertebrarum articulationes et maxillas sensim invaserunt, ita quidem, ut ancylosis totius corporis articulationum exoriretur. Inde sex annis praeterlapsis, dum perduravit hic status, dolores abierunt, neque articulationum intumescendae aderant, sed propter totius corporis ancylosin in torum reclina-

¹⁾ Eximia morbi exempla etiam memorantur in: Casper's Wochenschrift, Jahrgang 1848, No. 30 u. 31.

tus vitam aeger degit miserrimam. Alimenta ei oblata sunt per aperturam dentibus evulsis exortam.

Etiam de casibus sermo est, in quibus morbus periodicis certis finitus et circumscriptus fuit, ut periodice rediret. Qui videntur fuisse casus morbi chronici, interdum exasperati ¹⁾).

De morbi sede.

Aggredi amat rheumatismus gonorrhoeicus, quod multis exemplis constat, praecipue inferiorum extremitatum articulationes, prae ceteris genu (tumeur blennorrhagique du genou). Ex observationibus, quas Foucart in hunc finem instituit et collegit, affert Eisenmann de morbi sede hanc tabulam:

octies genu alterutrum morbus occupaverat,
bis ambo genua eodem tempore,
semel genu alterutrum et articulationem pedis,
semel genu alterutrum et cubitum,
bis articulationem pedis,
bis pedum articulationes,
bis brachiorum articulationes,
semel omnes articulationes.

Si casuum morbi, quos Lawrence, Cumano, Basedow, Lippert, alii referunt, rationem habemus, eandem legem invenimus: rheumatismum gonorrhoeicum praecipue afficere extremitates inferiores, imprimis genu. Sed nullis parcit articulationibus, ut satis apparet ex relatis.

Apud feminas magis coxam affici dicunt. Ordinem

¹⁾ Basedow, in Casper's Wochenschrift, Jahrgang 1851, pag. 542.

quendam certum, secundum quem permigret corporis articulationes, ita ut ex una in certam alteram vel plures transeat rheumatismus gonorrhoeicus, constituere non possumus; libero arbitrio, ut rheumatismus articularis, progreditur.

Ratio et tempus inde a gonorrhoeae initio usque ad rheumatismi gonorrhoeici initium.

Tres fere sunt rationes, quae inter rheumatismum gonorrhoeicum et gonorrhoeam intercedentes observari possint. Quarum est prima:

Articulorum inflammatio gonorrhoeica accidit, dum gonorrhoea viget. Ambae simul decursum suum emetiuntur.

Altera: Gonorrhoeae fluxus subito desinit atque occupat rheumatismus gonorrhoeicus articulos. Gonorrhoea restituta, saepius rheumatismus gonorrhoeicus tollitur. Qui morbus semper est acutus.

Tertia: Dum adest gonorrhoea, rheumatismus gonorrhoeicus gignitur. Gonorrhoea desinit sensim, remanet articulationum inflammatio, nonnunquam accrescit.

Si accurate examinamus morbi relatos casus, de tempore, quo post gonorrhoeae infectionem rheumatismus gonorrhoeicus emergat, saepius proficisci morbum post hebdomades nonnullas, nonnunquam post menses nonnullos, quin immo post annum, quam gonorrhoea incepit, observamus. Mali ambitus et gravitas variant pro tempore originis, sed nunquam leves sunt. Quo citius oritur, eo promptius pelli potest. Nonnunquam, gonorrhoea exorta, paucos post dies rheumatismus gonorrhoeicus erupit. Quod si fit, acutus est morbus. Imprimis autem hic memorabile

videtur, quod Lippert observavit ¹⁾, gonorrhoea seminata, ante gonorrhoeae initium rheumatismum gonorrhoeicum esse exortum. „Nuper, inquit Lippert, iterum caupo quidam contra gonorrhoeam sextam auxilium petiit. Quas sustinuerat, gonorrhoeae fuerunt insignes, quod semper blepharophthalmia et intumescencia inflammatoria genuum accesserunt. Prima gonorrhoea, quam medicus quidam solis internis remediis curaverat, per menses in lecto propter complicationes memoratas aegrum detinuerat. Insequentibus gonorrhoeis, methodo abortiva in usum vocata, (injectionibus argenti nitric.) mox finem semper imposui. Complicationes quidem nunquam defuerunt, tamen semper dilabebantur, si gonorrhoeae fluxus plane cessabat. Topica remedia, imo gravissima, nunquam auxilium ferebant. Utriusque complicationis, et blepharophthalmiae et rheumatismi gonorrhoeici, incrementum et decrementum responderunt omni ex parte gonorrhoeae incremento et decremento. Quin immo — quod notatum velimus — ultimo in casu et blepharitis et intumescencia genu subito irruerunt, antequam urethrae secretio ullo modo turbata esset. Quae quum ita essent, quam certo exspectavi, gonorrhoea tribus diebus post erupit.“ — Hic casus morbi naturae praecipue lucem affundit, quare infra ad eum recurremus.

Exitus morbi.

Quum quoad potuimus rationem casuum litteris mandatorum habuerimus, tres invenimus exitus, qui memorandi sunt.

¹⁾ Casper's Wochenschrift, 1850.

- I. Sanatio. Redit valetudo bona exsudatorum resorptione atque signa morbi abeunt.
- II. Tumor albus et ankylosis spuria remanent.
- III. Exitus fit in arthropyosin et tum fere semper in mortem.

Sanatio perfecta certo tempore non evenit. Evanescent signa inflammatoria febris fracta, si fuit morbus acutus vel subacutus. In chronicis casibus sensim dolores recedunt atque mobilitas redit. Morbus igitur lysi magis finitur. Critica phaenomena raro observantur. Una cum rheumatismo gonorrhoeico saepissime, iis exceptis casibus, in quibus subito suppressa gonorrhoea morbus incipit, gonorrhoea disparet atque exit, id quod morbi naturae consentaneum esse putamus. Nonnunquam gonorrhoea diutius persistit.

Ankylosis spuria et tumor albus exsudatione intra ligamenta fiunt, quod accidit saepissime, et degeneratione capsulae synovialis, quae fit villosa: Unde si tandem mobilitas restituta est, saepe crepitatio in articulationibus auditur. Hic morbi exitus praecipue in chronicis casibus occurrit. Si una cum gonorrhoeica inflammatione dyscrasiae exstant, ut scrophulosis, tumor albus facillime existit.

Tristissimus exitus in arthropyosin haud saepe observatur. Cernuntur omnia arthropyosis signa: febris continua, hectica, fluctuatio ad superficiem accedens, rubor cutis. Pus exorto abscessu modo eliminatur e corpore — tum sequi solet ankylosis vera, si vita servatur, quod rarissimum est — aut mors ante puris eliminationem pyaemia vel febris hectica vitae finem imponit. Foucart ¹⁾ inter

¹⁾ Foucart, Journal de Médic. de Bourdeaux Febr. et Mars. cfr. Canstatt's Jahresberichte, Localpathologie, ann. 1848.

undeviginti aegrotos duos vidit casus, in quibus mors finiit morbum. Eisenmann quoque casum affert hoc exitu notabilem ¹⁾. Interiit aeger feбри hectica et abscessibus pulmonum. Morbum ab exordiis medicus non cognoverat. — Ab hoc morbi exitu distat alia arthropyosis forma, quae acerrima gonorrhoea ex phlebitide existit et rheumatismum gonorrhoeicum comitari potest. Cujus Haucock ²⁾ exemplum affert. Vir quidam per sex — octo hebdomades vexatus est gonorrhoea, quum genu alterum atque eodem tempore pedis alterius articulationem et manus inflammatio adgrederetur. Nonnullis diebus post phlegmasia alba dolens femur occupaverat. Venae femoris et venae dorsales penis fuerunt obturatae. Curatione antiphlogistica sanatus est. Phlebitis certe ordiebatur a pene inflammato, deinde ad pelvis venas et femorales transiit. Quod saepius in venis uterinis observatur. Si in talibus casibus morte finitis pus in articulationibus genuum invenitur, non tam est exitus rheumatismi gonorrhoeici, quam novi morbi.

De anatomia pathologica morbi nihil observavi, nec in litteris memoratum inveni. Conjiendum est, ita mutatos apparituros esse articulos, ut in inflammationibus similibus, catheterismo, calculis cet. provocatis ³⁾.

De aetiologia et nosologia.

Si intelligere et explicare volumus, quomodo oriatur morbus, duae imprimis res sunt respiciendae, quibus excitatis morbus provocatur. Quarum est altera corporis ad morbum praedispositio, altera rerum foris oblatarum

¹⁾ Casper's Wochenschrift, 1847.

²⁾ Canstatt's Jahresbericht 1846.

³⁾ cfr. Dr. E. Gurlt, Beiträge zur vergleichenden Anatomie der Gelenkkrankheiten, Berlin 1853.

vis. Si numerum examinamus eorum, qui gonorrhoea conflictantur et conferimus cum eorum numero parvo, qui e rheumatismo gonorrhoeico laborant, primo obtutu elucet, pluribus rebus opus esse, quorum conjunctione morbus efficiatur, aut praedispositionem minus validam inveniri.

Viris ad morbum opportunitas major esse videtur, quam feminis. Constantin. Cumanus¹⁾ inter XXII aegrotos feminam non invenit. Contra Rayer inter V aegrotos duas fuisse mulieres refert. In Germania praecipue Autenrieth apud feminas malum vidit, nam inter XXIII e morbo laborantes VIII feminas inveniri dicit. In Gallia alia numerorum ratio esse videtur. Sed casuum numerus adhuc minor est, quam quo certa ratio constitui possit. Praedispositio ad morbum niti videtur consensu inter urethrae telam mucosam et articulorum membranas synoviales, quo medullae spinalis vi reflexoria unius irritatio ad alteram traducitur. Consensus praecipue apparet inter urethram et genu. Si catheterem immisimus vel candelam in vesicam, neque urethra huic irritationi assueverat, aut si diutius remansit catheter, saepius accidit, ut inflammatio genu alterius vel etiam utriusque inducatur. Quo major fuit urethrae irritatio, eo major insequens inflammatio²⁾. Irritatio sit specifica, necesse non est. Quaevis urethrae irritatio, si certam habuit vim, signa consensualia excitat. Ita Acton, Merriman, Chance observarunt articulorum inflammationem stricturis ortam³⁾. Ex lithotropia et quavis urethrae distentione signa illa existunt.

¹⁾ Berend, Syphilod. Bd. V.

²⁾ Velpeau, clinique chirurgicale pag. 32, vol. 2 plura huiusce rei exempla profert.

³⁾ Canstatt's Jahresbericht. Localpathog. 1846.

Ut urethrae irritationes medullae spinalis vi reflexoria in corporis provincias consensu nexas referuntur et in iis conspicuae fiunt, ita vice versa articulorum irritatio ad urethram traduci potest. Quod vidit Duparcque. „Quum rheumatismus articularis aegrotum cruciaret, subito urethra affecta est, quae urethrae affectio finem tulit adhibitis ad genu sinapismis. Ricord quoque se animadvertisse commemorat, vesicantia ad genu applicata omnino majorem vim in vesicam exserere, quam si ad alias corporis partes adhibita sint.

Sed si hanc viam persequitur morbus, cur in tot hominibus gravissima gonorrhoea affectis raro observatur rheumatismus gonorrhoeicus? Quid impedit, quominus erumpat? Alia fortasse morbi causa exstat. Contagium gonorrhoeicum resorptione receptum, depositum in articulis, movet morbum? Quod non valet. Certe si contagium specificum gonorrhoeae inveniri posset, facillime nexus inter gonorrhoeam et rheumatismum gonorrhoeicum explicaretur; sed contagium non est, ut Ricord, Hacker alii satis demonstravere; neque nexus inter hanc articulorum inflammationem et urethritidem sufficit ad contagium constituendum.

In his fere causa est, quod rarius invenitur gonorrhoeicus rheumatismus:

1. Praedispositio maxime variat. Valent temperies, regio, in qua vivunt aegroti, anni tempus totusque rerum numerus, quae spinae dorsalis energiam firmare aut debilitare possunt, ut venus nimia, totius vitae ante actae ratio et consuetudo.

2. Deinde urethrae certa quaedam irritatio necessaria est ad eliciendum morbum, aut certae urethrae partes irri-

tentur oportet. Quare diverso tempore oritur rheumatismus gonorrhoeicus. Nonnunquam nonnullos dies post existit, quam gonorrhoea erupit. Quibus in casibus urethrae irritatio summum ad fastigium ducta est, ut perfri-geriis, spirituosorum abusu, coitus exercitatione, balsamicorum usu temerario, injectionibus irritantibus. Tum urethrae fluxus subito subsistit, ut in pneumonia acer-rima sputa, quae antea adfuerunt, subito deficient. Si ita irritata est urethra, semper actiones reflexoriae mo-ventur, testiculi afficiuntur, aut morbus, de quo sermo est, incitatur. In his casibus medicamenta ad articu-los adhibita vana sunt; in curando morbo urethrae sta-tus tantum respiciendus est. Quum minuta urethrae in-flammatione gonorrhoeae fluxus redire soleat, in his quidem casibus metastasis falsa interpretatione consti-tuta est.

3. Tum pendet rheumatismi gonorrhoeici genesis ex partibus urethrae affectis. Sunt enim partes urethrae, ut cervix, irritabiliores, quam reliquae. Gonorrhoea sem-per incipit in fossa naviculari, celeriter per urethram propagari solet, quod probatur erectionibus dolorificis, quas irritatio regionis circa ductus ejaculatorios movet. Quae cervicis urethrae irritatio si ad majorem gradum pervenit, articulorum morbum semper ciere solet, si mi-norem vim habet, apud homines, quorum medullae spi-nalis energia minuta est, provocare eum potest. Nihil impedit, quominus in his casibus gonorrhoea persistat. De metastasi igitur sermo esse non potest.

Stadium blennorrhagicum, gonorrhoea secundaria, de-nique multum valet ad morbum provocandum. Irritatio chronica saepius efficit, quod breviori tempore gravior

non potuit efficere. Insequentes morbi semper sunt chronici, ni aliis rebus mutantur.

Res foris oblatae, si adest gonorrhoea, praedispositionem ad rheumatismum gonorrhoeicum augere possunt. In his sunt, quae supra memoravi, perfrigeria. — Vis articulis illata ad provocandum morbum nihil valet.

Holscher alique de metastasi sermonem faciunt in explicando morbo. Metastasis omnino in dubium vocanda est ¹⁾; ut ophthalmia gonorrhoeica oritur consensu, neque quis hodie metastasin accusat, ita in rheumatismo gonorrhoeico consensus partium tantum in forum vocari potest. Ill. B. Langenbeck eandem sententiam profitentem audivi. Rayer quoque metastasin omnino rejicit. Rostan censet, morbum gangliorum vi oriri. — Quae offendant metastasin, e supra relatis satis apparent.

Saepius rheumatismum gonorrhoeicum in viris, quam in feminis occurrere attulimus. Quod probare videtur sententiam de ejus origine propositam: oriri rheumatismum gonorrhoeicum irritationis urethrae reflexione ad articulos. Feminae rarissime afficiuntur urethritide ²⁾, ita ut sint medici, qui eam negent; colpitis vero invenitur. Igitur urethrae gravis irritatio, causa morbi, deest. — Eisenmann proposuit sententiam, in feminis morbum oriri colli uteri irritatione, quod si verum esset, fortasse saepius occurreret.

Alii alias de morbi origine sententias protulerunt.

Monteggia, indulgens systemati, quod Brown exstruxit, sententiam adoptavit, rheumatismum gonorrhoeicum corporis debilitatione oriri, quae victu parco, vino pro-

¹⁾ Henle, Handbuch der rationellen Patholog. 1846.

²⁾ cfr. Hacker, Handbuch über Syphilis.

hibito aliisque excitantibus nutrimentis negatis nascatur. Debilitatio ad ciendum gonorrhoeicum rheumatismum certe multum valet, sed omnino in praxi haec sententia rejicienda est. Quod Monteggia ipse comperit, qui quum secundum ideam, quam de morbo fovebat, curationem instituisset atque opium et vinum in usum vocasset, morbum sanare non potuit ¹⁾).

Titley oriri putavit rheumatismum gonorrhoeicum balsami copaivae et cubearum usu subito intercepto. Contrarium Eagle et Maddock judicarunt, usu balsami copaivae rheumatismum gonorrhoeicum exsistere dicentes. Gonorrhoeae in ciendo morbo nullas tribuerunt partes. Quare rheumatismum non gonorrhoeicum, sed copaivalem dicendum censent. Hunter et Abernethy de rheumatismo sermonem non fecerunt, neque unquam in curanda gonorrhoea balsamum copaivae adhibuerunt. Cooper vero et Titley, qui semper balsamo copaivae utebantur, de rheumatismo gonorrhoeico multum disseruere.

Quibus rebus perceptis, Eagle et Maddock in sententiam supra memoratam adducti videntur. Eagle ad sententiam suam defendendam multa memorat, quae omittam. Inveniuntur apud Hacker: practisch. Handbuch der syphilit. Krankh. 1847. I. Th. pag. 139, et Berend Syphilod. Bd. V; ibidem sententia refutata est. Lambe etiam accusat balsamum copaivae, aliique auctores eandem probant sententiam. Cubebae quoque culpantur. Neque dubium esse potest, quin saepius balsamicorum medicamentorum usus noceat gonorrhoeis et articulorum morbum adducat. Cubebas vocat Brodie ²⁾ maxime perniciosas, multorum

¹⁾ cfr. Berend: Syphilod. Bd. V. p. 470.

²⁾ Gelenkkrankheiten, übersetzt v. Dr. Soer 1853.

morborum fundamentum. Annan duos vidit casus, in quibus temerario cubearum usu gonorrhoea quidem mox cessit, post nonnullos autem dies rheumatismus gonorrhoeicus in manuum articulationibus erupit.

Qui usu balsamicorum remediorum in gonorrhoea curanda rheumatismum gonorrhoeicum incitatum observarunt, certe non errarunt. Qui autem nullam aliam causam morbi intelligunt, praeter horum usum, ut Eagle et Maddock, valde errant. Prima morbi causa semper est gonorrhoea, medicamenta balsamica temere adhibita nonnunquam urethrae irritationem ita possunt augere, ut erumpat rheumatismus gonorrhoeicus. Observatur morbus quacunque curatione adhibita.

Basedow (Casp. Wochenschrift.) distinguit inter rheumatismum gonorrhoeicum gradus levioris et gravioris, quem posteriorem lui gonorrhoeicae adnumerat.

De prognosi.

Prognosis nunquam multum laeti pollicetur. Etsi rarissime mala est et aegroti vita in discrimen vocatur, tamen propter diuturnitatem, qua per se malum excellit et quod saepius redire solet, nunquam parvi faciendum est. Holscher morbi prognosin malam promulgavit. Prognosis pendet multis ex rebus; utrum sit morbus acutus an chronicus — num antea idem morbus jam adfuerit, vel aliae articulationum affectiones — num una cum rheumatismo gonorrhoeico dyscrasiae adsint. Tum affectarum articulationum dignitas et numerus prognosin aut meliorem aut pejorem reddit. — Acuti morbi prognosis melior est, quam chronici, nisi aliae accedant res, quae eam pessumdent. Si alii articulationum morbi ad-

fuerunt, pejor fit prognosis. Dyscraticis malis, ut scrophulosis, arthritide, prognosin pessumdari vix opus est ut dicam. Si digitorum articulationes vel pedum affectae sunt, meliorem esse prognosin, quam si genu vel coxa, vel cubitus sedem morbi constituat, per se apparet. Quo plures affectae sunt articulationes, eo pejor praedictio.

Bona haud saepe vocanda est, sed tantum si primo adest rheumatismus gonorrhoeicus, si una vel paucae aegrotant articulationes, neque dyscrasia exstat. Nec exituum in aliud malum prognosis laeta. Mobilitas impedita, ancylosis spuria, nequaquam per se bona, optimus exitus est, nisi plena valetudo redit. Arthropyosis tristissimam praebet prognosin. Stromeyer mortem semper imminere putat, si arthropyosis adsit, ex pyaemia aut febre hectica. Si mors arcetur, ancylosis vera sepuitur.

De diagnosi.

Diagnosi maxime illud obstat, quod saepissime aegroti morbi fontem, quem nesciunt, gonorrhoeam scilicet, abscondere student. Quod ni impediret, quominus tam aperta causa esset, ut in rheumaticis affectionibus scarlatina incitatis, diagnosi vera facillime erui posset. Sed quum ita sit, eo magis peculiaria morbi signa respicienda et observanda sunt. Quod rheumatismus gonorrhoeicus articulationes, quas sibi elegit, longum per tempus dilacerat nec, ut rheumatismus articularis, in alias transit, sed affectas articulationes saepissime usque ad ancylosin discerpit, praecipue respiciendum est. Tum in rheumatismo articulari acuto febris gravior est, quam in acuto rheumatismo gonorrhoeico. Sudor acidus, quem rheumatismus articularis inferre solet, in rheumatismo gonorrhoeico deest.

Miliaria in rheumatismo articulari saepe exstant, in rheumatismo gonorrhoeico desunt. Urina in rheumatismo gonorrhoeico distat ab urina rheumatica; est aquosa et pellucida; rheumatica phaenomena desunt. Neque demum unquam, quae gravissima est rheumatismi acuti complicatio, in rheumatismo gonorrhoeico endocardium, pericardium, aut valvulae cordis inflammatione corripuntur aut exsudatione destruuntur.

A reliquis articulationum morbis rheumatismus gonorrhoeicus satis distingui potest.

Sed non putandum est, primo quasi obtutu hunc morbum cognosci posse. In pluribus vero casibus necesse erit, diuturniores observationes instituantur. Nam praecipue ex decursu hic morbus distinguitur.

De curatione.

Morborum curatio semper regatur legibus necesse est, quas scientia opinioque de morborum natura atque origine constituta probat, nisi ita eorum natura sit abscondita atque operta, ut tantum medicamenta usu et experimentis commendata et comprobata adhiberi possint. Quot igitur de morborum origine et natura fuerunt et sunt sententiae, tot medendi rationes exstiterunt. Eo autem proprior est medicorum labor, quo magis sunt morborum fontes detecti et aperti, quod si desideratur, in tenebris versamur.

Et rheumatismi gonorrhoeici curatio varia fuit pro auctorum de morbo sentiis, quarum supra nonnullas attuli. Sed noli expectare, me, quum opera perdita esset, illas multas, quae inde a pluribus decenniis administratae sunt, curandi rationes allaturum et dijudicaturum et ad-

hibitorum remediorum numerum appositurum esse. Qui tantus est, ut fortasse cum Luciano dicere possimus:

„Ternt plantagines et apia
Et folia lactucarum et silvestrem portulaccam,
Alii Marrubium, alii Potamogeitonem,
Alii Urticas ternt, alii symphytum.

— — — — —
Sterciora montanae caprae, humanum oletum
Coquunt rubetas, mares araneos, lacertas, feles,
Ranas, hyaenas, tragelophos, vulpeculas.“

Quam proposui, virorum doctissimorum sententia nixus: effici rheumatismum gonorrhoeicum irritatione urethrae medullae spinalis vi in articulos traducta, omnem medici curam eum finem habere existimo, ut urethrae irritatio tollatur, aut minuatur. Omnes, qui rheumatismo gonorrhoeico curando operam navarunt, consentiunt, medicamenta ad articulationes affectas adhibita nihil valere, dum urethrae irritatio adsit. Cooper jam gonorrhoeico rheumatismo iisdem medicamentis medendum esse tradit, quae in curanda gonorrhoea in usum vocari soleant. Quo re vera in sentiam de rheumatismo gonorrhoeico supra propositam abiit. Gonorrhoea est Ariadnes filum, quod morbo invigilantes nunquam obliviscantur necesse est. Quod si constat, topicus articulationum morbus et febris eo provocata non omni ex parte negligenda et spernenda sunt.

Sed antequam ad curationem morbi accedamus, non possumus, quin curae prophylacticae paucis rationem habeamus, quae si non semper, tamen saepius morbum prohibere valet.

Prophylaxis in duas partes dividenda est, quae sunt:

1. vivendi ratio,

2. curatio a medico instituenda.

1. Vivendi ratio. Si fortasse facillimum videtur, aegrotis praecipere certas in victu eligendo regulas, omnibus artis Apollineae legibus consentaneas, ut aegroti datis pareant praeceptis, efficere difficillimum. Saepius id desideratur, quam perficitur. Quod praecipue occurrit in morbis genitalium infectione adductis, quos abscondere quantum possunt, aegri saepe conantur, nec victum consuetum mutare volunt. Jure Hacker, „si exsequi et perficere valeremus, inquit, ut gonorrhoea laborantes domi in cubile setis equinis confertum reclinati manerent, motus vitarent fugerentque, temperie moderata, aequali uterentur: nunquam tantum temporis spatium gonorrhoea protraheretur.“ Cui addendum est, gonorrhoeae morbos consequutivos rarissime exstituros esse. Verbis, quae ab Holscher dicta memoravi, simul omnia in curatione prophylactica observanda praecepta continentur. Si quidem, ut super cubile reclinantur aegroti, strenue medicus postulet necesse non est, tamen quaeque rapida vel violenta corporis commotio interdicenda et proscribenda est. Saltare — quod saepissime fit — equitare, plaustro vehi non licet. Tum, ne ventis gelidis frigidisque aut imbribus perfrigescant, aegroti vigilant. Quaeque corporis excitatio damnanda est; nec Veneris monitis annuatur. Victus sit parcus, nec excitans neque digestionem turbans. Obstructio alvi statim tollenda est, quae diutius persistens saepius gonorrhoeae sanationem prohibet. Dum incendium cessit, maxime cavendum est, ne aegroti fastidientes victum parcum tenuemque, opima et lauta alimenta sibi eligant, quorum tunc usus saepissime totam curam irritam reddit.

Praecipue hoc in stadio caute vivendum est omniaque modum excedentia vitanda. Pus penem inquinans saepius abluatur, lavacra vel balnea adhibeantur. Si linteum et penem pus conglutinavit, lavando linteum amoveatur, nam vi abreptum saepe sanguinis fluxum movet et incendium novum. Tum totius gonorrhoeae legitima cura omnino prophylaxis est contra rheumatismum gonorrhoeicum.

2. Sed nonnunquam casus occurrunt, quamvis rarissime, in quibus directa curatio prophylactica instituenda est, si quidem jam adfuit rheumatismus gonorrhoeicus et praedispositio ad morbum satis nota est. Si placet, conferantur casus ¹⁾, quos ab Illustr. Casper et Lippert litteris mandatos attulimus. In his casibus curatio abortiva adhibita est. Nec tamen unquam fieri potuit, ut articulationum morbus vitaretur, sed ad minuendam rheumatismi gonorrhoeici vim multum illam valuisse, negari non potest. In casibus relatis decursus morbi hac curatione certe decurtatus est, quod magni est momenti.

In ipso morbo curando tribus indicationibus satisfacere debemus. Quae sunt: indicatio causalis, indicatio morbi, indicatio febrilis. Pro acuto, subacuto aut chronico morbi decursu vario modo his indicationibus satisfacimus.

1. rheumatismus gonorrhoeicus acutus.

Gonorrhoeae curatio antiphlogistica esse debet. Gravi incendio urethrae, fluxus deficere solet. Qui restituendus est minuta inflammatione. Quare hirudines, balnea, cataplasmata ad perinaeum applicanda sunt. Antiphlogistica

¹⁾ cfr. pag. 13 et 16.

interna atque Opium et Kalium jodatum usum praestant. Etiam topicus morbus strenuam antiphlogosin postulat.

Cucurbitulae cruentae vel hirudines ad articulum ponendae sunt. Tum medicamenta, quae in rheumatismo articulari acuto laudantur, auxilium ferunt; Tartari stibiat doses majores summam laudem sibi pepererunt.

Restituto gonorrhoeae fluxu et fracta inflammationis articulationum vi, vinum seminum Colchici opiatum ab Eisenmanno laudatum adhibeatur. Compositum est ex vini seminum Colchici 3jij, Tincturae Thebaici 3β; dentur XXV—XXX guttae ter quotidie.

2. Forma subacuta.

Indicat. causalis: in gonorrhoea curanda stadium respiciendum est. Praecipue in gonorrhoeae chronico stadio rheumatismus gonorrhoeicus subacutus existit. Tum balsamica remedia sine dubitatione et timore, ne morbus in majorem gradum abeat, lege artis adhibenda erunt. Injectiones quoque adstringentes bonae. Injiciantur solutiones argenti nitrici (gr. j—jj sol. Aq. dest. 3vj), aut Zinci, Plumbi, Cupri, Ferri, Hydrargyri praeparatorum, quae nota sunt. Tum candelarum in urethram immissarum usus magni momenti est. Holscher candelarum applicationem praecipue commendat, nec non Langenbeck et Stromeyer¹⁾, quorum hic de hac rescribit: „Alle Praktiker stimmen darin überein, daß die Einführung von Bougies das wesentlichste Erforderniß für die glückliche Kur der gonorrhoeischen Gelenkentzündung sei. Bei anwesenden Stricturen müssen dieselben mit narcotischen Substanzen bestrichen durch die Stricturen geführt

¹⁾ Handbuch der Chirurgie, 1851.

werden, unter den nöthigen Cautelen. Ist keine Strictur zugegen, so genügt es, ein kurzes Bougie in den vordern Theil der Harnröhre einzuführen. Dauert der Tripper fort, oder bei großer Empfindlichkeit bestreicht man dieselben mit narcotischen Substanzen; hat der Tripper aufgehört, mit scharfen Salben. Man wendet die letzten an, um den Tripper wieder in Fluß zu bringen, doch nützen sie auch, wenn sie den Tripper nicht wieder hervorrufen.“ Nonnulli etiam injectiones irritantes commendant. Quod repugnare videtur sententiae de morbi origine propositae; sed saepe antagonistica ratio intercedit inter partes consensu junctas. Leges, quibus eventus adaptetur, haud omnino perspicuae sunt. Sed candelae semper adhibeantur. Stromeyer exemplum affert, in quo candelarum usus eximium eventum praestitit. Genu affectum erat omniaque signa suppurationis in articulatione se praebebant. Detractiones sanguinis et reliqua antiphlogisticorum caterva opem non tulerant. Puris eliminatio per abscessum imminebat, quum immitterentur candelae unguento hydrarg. praecipitati rubri et tinctura cantharid. illitae. Mox dolores recesserunt et post aliquod tempus fluidum in articulationem genu effusum resorptione ablatum est, licet praeterea nihil adhibitum fuerit. — Candelae primo adhibeantur minus crassae, unguento Belladonnae aut Opii illitae. Quotidie bis immittendae sunt per XXV horae circiter minutas.

Morbus ipse et febris comitans antiphlogosin modicam postulant. Hirudinum applicatio saepe dolores minuit. Fasciis articuli involvendi sunt. Interne adhibeantur antiphlogistica salina. Vinum seminum Colchici opiatum et in his casibus laudatur. Sed ante urethrae irritationem

exstinctam articulorum morbus non sanatur. — Kalium jodatum in subacutis et chronicis casibus multum valere videtur. Basedow duorum casuum mentionem fecit, quibus hoc medicamentum auxilium tulit. F. quidam gonorrhoeam, quae ante VIII menses non omni ex parte sanata erat, quum renovasset, ex inflammatione articulationis pedis sinistri anno 1842 laboravit, ad quam accessit ophthalmia. Per quatuor deinde annos insequentes eorundem articulorum inflammatio rediit, quam gonorrhoea redux indicavit. Morbus per III — IV menses protrahatur. Multa remedia frustra jam adhibita fuerunt, quum aegrotus Kal. jod. $\mathfrak{z}\text{ijj}$ uteretur, quibus sanatus est. Alterum memorat casum, hujus similem.

3. Chronica morbi species. Gonorrhoea et urethrae irritatio exstinguendae sunt, quod remediis supra memoratis fit. Contra articuli morbum praecipue certis spatiis interjectis cucurbitulae cruentae et hirudines applicandae sunt. Tum derivans cura instituenda est ad cutem tegentem. Vesicantia, Unguentum Kalii jodati et Tincturae jodi sufficiunt. Alvus modice ducatur. Cataplasmata tepida, narcotica damnum potius quam auxilium afferre, Hacker testatur. Quare narcotica medicamenta lanæ ope applicavit, eadem vero multum emolumenti non praestant.

Si omnia signa inflammatoria et dolores abierunt, at mobilitas difficilis mansit propter fibrinosa exsudata, rigiditas quaedam articulorum, exercitatio non negligatur, quae primo ab aliis efficiatur, postea si promptior evasit, aegroto ipsi committatur. Sin ita laesa est articulorum mobilitas, ut ancylosis spuria, quae dicitur, adsit, Ill. et ingeniosissimi Langenbeckii ratio, ancyloses chloroformio adhibito

curandi in usum vocetur. Balneorum quoque vis experienda est. In his casibus balnea: Toeplitz, Wildbad, Gastein, Landeck, Badenweiler, Pfaeffers antiquam famam servant. De curatione, quam exitus postulant, reliqua chirurgiae praecepta respicienda sunt.

V I T A.

Carolus Aemilius Neumann, anno MDCCCXXX d. M. Junii IX Baruthii, oppido Marchiae natus sum, patre Theophilo, verbi divini ministro primario, quem dira morte mihi ademptum lugeo, matre Carolina e gente Wettich, qua adhuc viva gaudeo. Domi litterarum elementis imbutus et ad normam ecclesiae Evangelicae educatus sum. Qua institutione quum usque ad quartum decimum annum usus essem, ad Gymnasium Luccaviense migravi, quod civem me habuit, donec maturitatis testimonio ornatus Berolinum proficiscebam ann. MDCCCL, ubi a beato Lohmeyer in numerum civium instituti regii Friderico-Guilelmiani medico-chirurgici receptus sum. Per quadriennium deinde frequentavi scholas hasce: Cel. Boehm de aciurgia; Ill. Casper de medicina forensi, de arte formulas medicas rite concinnandi; Ill. Dove de physice; Exp. Ebert de morbis infantium; Exp. Elsholtz de militum delectu, de morbis simulatis et dissimulatis; Ill. Juengken de chirurgia generali, de laesionibus; Ill. Langenbeck de morbis articulationum; Exp. Lauer de therapia generali, de semiotice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Beat. Link de botanice, de historia naturali generali, de cryptogamis; Ill. E. Mitscherlich de chemia anorganica et organica, de pharmacia; Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus; Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum, de anatomia comparata et pathologica, de physiologia universa et physiologia generationis; Cel. Preuss de historia; Ill. Romberg de

pathologia et therapia speciali; Ill. Schlemm de osteologia, de splachnologia, de syndesmologia; Exp. Schoeller de arte obstetricia; Ill. Schultz-Schultzenstein de pathologia et therapia generali; Exp. Simon de morbis syphiliticis; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Ill. Weiss de mineralogia; Cel. Werder de psychologia, de logice. Artem cadavera rite secandi me docuerunt Ill. Mueller et Schlemm; artem fascias rite applicandi Cel. Troschel; in pectoris auscultatione et percussione dux mihi fuit Exp. Ebert; in exercitationibus medico-forensibus Ill. Casper; in operationibus instituendis Cel. Boehm; in operationibus ophthalmicis Exp. Tegener, in exercitationibus obstetriciis Exp. Schoeller. Clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui virorum Ill. Cel. Exp. Boehm, Ebert, Juengken, Langenbeck, Romberg, Schoenlein, Schoeller, Simon, Wagener, Wolff.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec minus examine riguroso coram Gratoso Medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Rheumatismus gonorrhoeicus sanatur urethrae curatione.
2. In cerebello generandi sensum ponendum esse non puto.
3. Dentium cura medicorum est, non artificum, quos vocant dentistas.
4. Generatio aequivoca non exstat.
5. Carcinoma, si omnino sanatur, citius, tutius et jucundius cultro quam cauteriis, sanatur.